



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

84. An ergo etiam, dum quis post narrata in supplica beneficia jam à se habita obtinet insuper aliud beneficium à Papa, eo ipso dispensatus sit ad ista prohibita retinenda simul, & sic ea ista ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

sum, etsi ei nulla occurrat causa sufficiens, acceptare & retinere illud beneficium simul cum præhabitis; eod quod turpe sit de universalis Ecclesiæ pastore præsumere peccatum, quodve abutatur potestate dispensativâ bonorum Ecclesiasticorum contra iustitiam distributivam, & quod non gubernet rectâ, suavi, & prudente prudentiâ; quamvis hic & nunc ignoretur causa sufficiens relaxandi jus naturale; adeoque provifus rectè faciat obmutescendo, & beneficium illud acceptando & retinendo; utpote qui illius capax est, & præsumere debet, Papam in eo conferendo habuisse causam sufficientem ad dispensandum in iure canonico, & relaxandum ipsi naturale. Hurr, de residencia. l. 6. resol. 6. §. 7. à n. 11. citans Bart. in l. fin. c. si contra jus. utilitas publica. Loar. de matrim. du. 4. nu. 13. Felin. Decim. Præpos. Imol. &c. Et sanè si verum est, quod ipsa Pontificis liberalitas sit ratio sufficiens dispensandi, de quo supra, talis collatarius scrupulum nullum movere potest. Adde quod non semper, ubi collator in conferendo beneficium peccat, peccet quoque collatarius illud acceptando vel retinendo, v. g. dum collator præterito scienter digniore id confert minus digno, eo id ignorante, vel dum confert amico, ut is fiat ditior, honoratior, & is ignorans illam intentionem conferentis illud acceptat bonâ fide ex intentione, ut exinde pauperes juvare possit. Hurr. l. c. n. 16. & 17. citans Nav. miscellan. 44. n. 81. & 82. Vide quæ hanc in rem dicta supra ex D. Tho. & Cajet. ad initium hujus §.

**Quæstio 84.** An ergo etiam, dum quis post narrata in supplica beneficia jam à se habita obtinet insuper aliud beneficium à Papa, eo ipso dispensatus sit ad ista præhabita retinenda simul, & sic ea retinere possit bonâ conscientia?

**R**espondeo negativè: c. non potest. de præb. in 6. ubi expressè: Cum verò tibi, non obstante, quoddam aliud beneficium habere noscaris, à sede prædictâ de aliquo beneficio provideri contingit, per hoc tecum, ut primum beneficium cum secundo retinere valeas, non intelligitur dispensatum; hoc enim solum operatur præfata expressio, quod facta tibi gratia nequeat subreptione iudicari. Castrop. cit. p. 3. §. 6. nu. 27. ubi etiam rationem hanc dat; quia Papa conferens de novo beneficium habenti aliud, cum facultate illud retinendi præsumit, nullum ex iis sufficere ad honestam sustentationem: Gonz. Gl. 15. n. 27. citans pro hoc Ignat. de Salcedo Addition. ad praxin Bernard. Diaz. c. 48. gl. quamvis simplicia. Hojed, de incom. p. 2. c. fin. n. 72. Rodriq. in sum. c. 31. n. 2. ac præcipuè Nav. tr. de orat. c. 22. miscellan. 16. n. 64. ubi ait; in hoc decipi plures, credentes ex tali narrativa dispensatos remanere, & quod, si sua sanctitas plura obtinenti concedit de nova alia, non ideo intentionem habet dispensandi contra textum cit. c. non potest; sed quia credit, quod omnia beneficia ad congruam supplicantis sustentationem necessaria sint, & quod aliter confessarii non absolvent eos, nisi dimissis his, quibus non egent, vel concepto firmo proposito ea dimitrendi &c. Quæ confirmantur ex illis, quæ habet Gonz. loc. cit. nu. 38. quod nimirum in supplicationibus, in quibus præter gratiam pro novo obtinendo petitur quoque dispensari ad licitè retinenda.

P. Lauren. Fori Benef. Tom. III.

da præhabita narrata, semper ferè soleant verba illa dispensationem hanc concernentia cancellari de supplicatione; ex qua Cancellatione declaratur mens Papæ, nolentis dispensare, ut plura beneficia, quam ea, quæ ad congruam sustentationem satis sunt, retineri possint. Pro quibus Gonz. citat Mohed, decis. 23. n. 2. & 3. de præb. Bart. in l. si quis in priore. ff. ad Trebellianam. & l. Tribunus. ff. de militari testam. Addit quoque Gonz. n. 29. in hoc casu de plano intrare Regul. 50. Cancellar. per omnes Pontifices renovatam, dum in ea dicitur: Dispensatio non venit sub quacunque signaturâ in quavis gratiâ, nisi totaliter gratia effectum huiusmodi dispensationis concernat, vel aliâs nihil conferat aut operetur &c. Unde, cum supplicatio ultima pro obtinenda gratia alterius beneficii non concernat totaliter effectum ad plura, sed potius acquisitionem alterius novi beneficii respiciat, & narrativa jam habitorum operetur in suum effectum, nempe, ne adit obreptione, atque ita expressio eorum, quæ sit tacita essent, vitiarent gratiam, nullatenus dispensationem operatur, juxta Rot. decis. 33. nu. 7. & 8. de præb. in antiq. Gonz. n. 31. & clausula: non obstantibus: licet tollat subreptionem, non tamen inducit dispensationem; cum de dispensatione apparere debet verbis claris & non ambiguis. Gonz. n. 32. ex Ferret. cons. 32. n. 53. Notanda denique sunt verba, quibus hanc responfionem concludit Gonz. n. 38. bene considero, quod ista sententia pluribus Ecclesiasticis beneficiis deglutientibus, ac sitim majoris & amplioris pluralitatis nunquam extinguentibus maxime displicebit, & quod statim dicent, quod communiter servetur contrarium; sed ad hoc respondeo; quod quilibet sibi consulat, & si contraria fundamenta & rationes repererit potiora, cum quibus corruant supra dicta, oppositam opinionem retinere poterit; sed ego tales rationes aut iura, aut aliquem Doctorem contrarium tenentem non invenio, &c. dicit tamen n. 39. se non loqui simpliciter de pluralitatem beneficiorum habentibus, sed de illis, qui majorem numerum, quam ad suam vitam honestè sustentandam sufficiat, habeant. Potrò videntur hæc procedere juxta dicta à Gonz. dum expressa non solum præhabitorum qualitas, sed etiam quantitas, nempe sufficiens; etsi contrarium videatur colligi ex eis, quæ ait Castrop. loc. cit. nempe, quia sæpe ignorat Papa beneficia, quæ habes, sufficere ad tui sustentationem, tamen si qualitatem eorum manifestes, si de facto ea sufficiunt, & tamen id non declares, non censetur Papa dispensare: nam inde videtur rectè inferri à contrario, quod, si eam declares, censetur dispensare.

**Quæstio 85.** An, dum quis scit, Papam scire, se ad plura beneficia sufficientia absque dispensatione promoveri, vel ea simul habere, & hoc toleret, seu non reprobet, ea retinere possit bonâ conscientia?

**R**espondeo negativè, argumento illius, quod dicitur in c. cum jam dudum: de præb. multa per patientiam tolerari, quæ si in iudicium deducta fuerint, exigente iustitiâ, tolerari non debent, Pirh. rit. de præb. n. 176. quamvis enim Papa hoc sciat, & motu proprio autoritate suâ non emendet vel impediat, non tamen id approbat, sed expectat, donec causa in iudicium per quandam deducatur, ut ad instantiam partis ex officio teneatur.

D 2

tur